



P A N E G Y R I S.

FA est humanis Virtutibus Dignitas, Auditores, ut quamvis nobiscum diù vixerint, nobiscum tamen minimè mori patiantur; imò quoties ipsi occidimus, tunc illæ nitidiùs oriuntur, nec inde mærentibus Posteris quidquam spatii relinquitur, inter Laudes, & Lacrymas. Hujus jura Majestatis præsertim exigunt Virtutes Principum, ne Illis viventibus, alieno metu emicasse credantur; vel quia assuetæ cultu mortalium, dum ruere, vel infici poterant, immortalem, atque incorruptibilem vitam consecutæ, pulchriores, firmioresque, nec volunt, nec possunt, venerationem, regnumque dediscere. Tristissimus ergo nobis, qui super-

A sumus,

fumus, dies, decedentibus est ille lætissimus, quoties moritur qui cæteris proderat vivus, quoties vivunt, quibus non proderit mortuus. Hinc sapientissimè, Hispani Sodales, in solemnibus his LEOPOLDI IMPERATORIS Exequiis, Urnam, & Effigiem simul composuistis, illa quæ solutæ humanitatis cineres, hæc quæ permanentem Virtutum speciem ostenderet: mediusque Ego tristis, ac stupens Orator, lacrymor, & admiror, & dum miror illacrymor. Extinctum in Cineribus Sodalitatis Vestræ Parentem, & Principem reperio, hoc ipso quod non reperiam: Vivum in fulgenti Effigie, Principum Exemplar intueor, quamvis solummodo frontis colorem intuear. Quæ in Cineribus non video, implent oculos lacrymis; quæ in Effigie contemplor, mentem oculis implent. Unà vobiscum, Sodales, *propè Urnam lugebo*; cæterisque Mortalibus *spectandam*, LEOPOLDI IMPERATORIS *Imaginem dabo*: Vos interim, Auditores, animos, auresque concedite, quæ sum enim pollicitus, statim exordier.

Causas lacrymarum ab ipsa Sodalitatis Vestrae institutione non procul abesse perspicio. Vix Ferdinandi Hungariae, Bohemiaeque Regis accesserat Thalamum Maria Hispaniarum Infans, jam (avito more Domus Austriacae ubique Christianam pietatem redolentis) secum Paternae specimen Aulae ad hanc nostram contulisse perhibuit. Suam colligi hoc in templo familiam voluit, ubi Hispano ritu sub Eucharisticis Insignibus, simul divina peragerent; iisdemque sub auspiciis Posteritas Austriae incrementum fumeret, unde tantae magnitudinis primordia contraxit. Laudavit Rex Hungariae Consilium Conjugis, & inter conscriptos Famulos ipse perlegi optavit: Hispanus Orator vestigiis institit: Magnates plurimi nomen dedere: Pronus in cultum Populus conveniebat frequens, & supplex: probatamque decennio constantiam pietatis, acceptam Deo fuisse, singulari muneris largitate pernotuit: Quæritis quo genere munerum? Maria LEOPOLDUM peperit; & quod minimè omittendum reor, quinto peperit Idus Junii inter Corporis Christi

sti Solemnia; ut ad votum hujus novæ Sodalitatis Cælo annuente peperisse constaret. Cæteri Archiduces, vestri Principes nascebantur; LEOPOLDUS verò vestræ Pietatis Proles, vestris donum precibus, in amplexu vestræ Festivitatis natalem diem fortitus est. Alios quidem Archiduces eadem Genitrix enixa est, sed extinctis omnibus, hic unus emanfit; non certè fortuito relictus eventu, sed Divini dilectione Numinis, eum eligentis, quem in Feriis Eucharisticis, in vestræ scilicet Sodalitatis confinibus, nasci decrevit. Hunc LEOPOLDUM in Archiducem Austriæ, Hunc in Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæque Regem, Hunc in Romanorum Imperatorem, quamvis postero partu servavit; fallor tamen, Auditores, quòd hunc LEOPOLDUM, vestrum dixerim: vester quidem olim fuit, sed jam hodiè vester non est. Ille est mortis. Ea LEOPOLDI pars, quæ spiritus erat, nostris ab oculis abivit, evanuit, evolavit; reliquum, quod hîc cecidit, exiguus est cinis, & nec iste mansurus.

Ex sinu Matris in Fæminarum ulnis

ex.

exceptus, usque ad sexennium pueritiam
in Gynæceo produxit. Hic Hispanæ
Nutrices (in Hispano hoc sodalities sorores)
prima Illæ rudimenta Christiani cultûs
in tenellam Pueri mentem induxerant;
adeoque facilem in sacros mores repererant
Indolem, ut Pietas inveniri potiùs,
quàm imbui videretur. Nunquam ex
mandato, vel ritu, vel consilio Deum
orabat, sed spontè, sed lubens, sed hilaris.
Adolescentiæ studia, quibus Principes,
simul ad institutionem, & voluptatem
exercerentur; equestria, literaria, thea-
tralia, nullum unquam ex eo tempore
momentum usurpari permisit, quod
Divina spectaret: Humanis utebatur,
lætabatur Divinis, ratus nihil dignius
Principe, quàm cum Deo dilectionis com-
mercium. In apicem mortalium, Rex, &
Cæsar assumptus, superis propior magis,
magis Sacra dilexit: colendus enim Ille
magis videbatur, qui Imperium dedit,
quàm regendi, qui imperio subduntur,
nec à Principe subditos negligi, qui Eum
diligit, Cui nullus non subditur Princeps.
Primum Illi cujusque diei negotium, ante-

B

quam

quam terrenis incumberet, cum Cælestibus agere, appensis ante oculos, Sanctorum, Deiparæ, Salvatorisque Imaginibus, quæ mentem in superna colligerent. Sacrificio Redemptionis non semel quotidie genibus flexis intererat, præ mortalibus curis, æternæ contemplatus mysterium salutis. Sacro pœnitentiæ lavacro ablutus, frequentissime Eucharisticam Mensam accedebat, non solum Catholicam Fidem, sed Catholicos mores professus. Voluptas Illi ante omnes gratissima, sacras Basilicas, Monachorum Cœnobia, Claustra Vestalium invisere, in quibus tenor Institutionis, Institutorum gesta, vivendi Methodus, beneficia solitudinis, colloquendi moram, & moræ lætitiâ implebant: nec diem, Auditores, Imperii laboribus amisisse credatis: Satis in Regno laborat Princeps, qui non mendacem Christianæ probitatis opinionem in vulgi mentibus firmat; eodemque ductus consilio, nonnullos semper illustrioris famæ Claustrales in Aula fovebat, ne unquam curis, etiam non facris, species Religionis abesset. Quamvis

venationis amantissimus , nunquam tamen venandi causâ , Divina omittebat , quibus adesse solebat ; gavifus magis unius cupiditatis victoriâ , quàm mille Ferarum excidio. Musicis artibus , licèt quàm maximè addictus ; libentiùs tamen in templo , quàm suis in Conclavibus canentes audiebat , ac si humanæ voces quid Cæleste divinis in precibus saperent. Quandoque scenicis Operibus cupidus Auditor intererat , sed non profanam Redemptoris nostri Tragediam theatriali more præstitam , singulis Annis constanter spectabat : cùm rerum inanium gaudio , proficius fletus esset Illi suavior. Sedulo Regnantis onera inter Aulæ Proceres perpendebat , inconsulto tamen Deo , nihil agibilem aggrediebatur : ex quo mirabiles sæpè confiliorum exitus , quorum ignorabantur causæ , prodibant ; & exinde Illi , tanta animi in omni eventu tranquillitas ; non quòd omnia Fato agi crederet , sed quia , nihil prævium omisisse , sibi conscius erat. Clarissimis nonnisi bello Ducibus Populorum , Regnorumque tutelam crediderat ; sed quoties impares

Hostibus , relicta spe salutis timuimus!
Tamen quæ militibus optare pugnantis
non audebamus, ea feliciter acquisivimus;
& ubi metuebatur naufragium, LEO-
POLDO, Exercituum Deum ORANTE,
victores emerfimus. Hanc cælitus no-
stras in Acies vim delapsam, sæpè Galli,
sæpiùs Rebelles, sæpissimè Turcæ sese-
runt, præmonentibus signis, quæ fidem
ignoti vigoris inferrent. In Zenthæ con-
flictu prævolantes luserunt Aquilæ : ante
desolationem Bosniæ lymphatici per
compita urbium clamârunt Vates : in ex-
tremis Hungariæ motibus, sacræ fleverunt
Imagines, antè Hæchstethianam Gallo-
rum stragem, Victoriæ Nuncius Viennam
accessit ; quæ omnia præter vim Mili-
tum, & Sapientiam Ducum, alteram
adesse connotabant, eam scilicet, qua
LEOPOLDUS suas in partes Divinam
opem consequabatur. Hûc, Auditores,
Pietas LEOPOLDI devénit : divinitus hu-
mana dirigere ; ea scilicet Pietas, quam
inter Conforores hujus Hispanæ sodali-
tatis, in Hispanæ Matris Gynæceo di-
dicerat, nec quod robustius, ineunte ætate
ado-

adoleverit, aliquid laudis primis illis radicibus demitur. Cæteræ animi dotes, quæ pietatem spectant, & quibus inter mortales LEOPOLDUS effulsit: Clementia in Miseros, Largitas in Pauperes: in Afflictos Commiseratio, Humanitas in Exteros: Affabilitas in subditos: in singulos, omnesque dilectio: & quotquot distinguebantur decora; ea omnia prima illa ex institutione processerant. Sed quoniam tantus Imperator, Auditores, devenit? Tanta Lux Principum, quibus in fluctibus occidit? Tantum Austriæ Numen, quibus in ædibus colitur? Ostendi vultis? Ostendam, Auditores, sed dolens, sed mæstus, sed invitus ostendam, Maximus Ille Regnator Terrarum: optimus Ille mortalium: noster Ille, & Princeps, & Amor, hac Ille in sepulcrali Urna decumbit: accedite funebrem Aram, date nomini animos, lapidi oscula, sacris Cineribus lacrymas: Hic jacet, & qui dilexit, & quem dileximus, Princeps.

*Oh Saffo amato, ed' onorato tanto,
Che dentro hai le mie fiamme, e fuori il pianto.*

Taf. Cant. 12. Ott. 96.

C

Re-

Restant ulterius, Sodales, ex hoc ipso, quòd Hispani estis, tristia iterum invitamenta mæroris. Hispanæ Genti, Hispanis moribus, rebus Hispanis quammaximè LEOPOLDUS addictus, nullum unquam in Hispanos dilectionis specimen, nullum Nationis decus, nullum cognationis officium omisit. Quotquot Vienensem Aulam accesserant, patrio in Illos sermone excipiebat, ne pervenisse ad Exterum Principem crederent. Eorum singulos juxta cujusque votum, patrocinio, muneribus, pecuniis adeò cumulabat, ut nimiam Carolus Rex frequentiam interdixit, ne facilem Imperatoris largitatem, faciliores Advenæ fatigarent. Hispanos Oratores ea in dignitate locabat, ut quisque ex Iphis, unus inter Primores Familiæ, in Aula Cæsaris, haberetur. Optaverant & Hispani Claustrales tanti favore Principis frui, quem sacris Ordinibus jampridem addictum perceperant, & votum superavit eventus. Captivorum Redemptores, Madrito vocari placuit, proximamque Urbi sedem piâ largitate concessit. Ex Monte Serrato Benedicti-

nis

nis Viennam accitis , quibus Turcarum
obsidio , Templum , Domumque delevit,
novas Ædes splendidiùs extrui , suppe-
ditatis redditibus jussit. Strictioris regulæ
Carmelitis , qui Matrem Hispanam co-
lunt , munificè , ac sæpissimè opem con-
tulit , qua possent plures , & commodiùs
Divinis incumbere. In Patres Societatis,
qui Hispano Fundatore gloriantur , be-
neficia , & honores nunquam defessus
Largitor effudit : & quidquid Sacri simul,
& Hispani aliquid redolebat , non LEO-
POLDUM allicere , sed rapere , sed tra-
here , sed vim inferre dixisses. Vix Regem
Hispaniarum , Deiparæ sine originali nota
conceptæ , se , & Regna devovisse per-
cepit , novum æmulatus Pietatis inven-
tum , seipsum , suasque Ditiones omnes,
eodem Sacramenti vinculo , institutâ so-
lemnitate , devinxit. Ad sacras primi
Aras Conjugii admotus , Hispanam duxit
Uxorem ; & ad sacri fontem Baptismatis,
ut primam obtulit Deo Prolem , Hispa-
niarum Regem ad vices Patris rogavit.

Nec mirum , ipse sibi Hispanus erat ;
Corporis Animi , & Mentis habitu , in

Hispanam speciem, semper, & ubique
compositus. Eadem in unam serenita-
tem facies, in eundem tenorem vox, in
eandem beatitatem color. Non prolixus
Illi fermo, sed plenus, & comptus ad ele-
gantiam Dignitatis: nihil in aspectu fe-
veritatis, & nihil languoris: oculorum
acies inter modestiam, & Regnum: len-
tus, magna cogitantis, incessus: in sup-
plices propitiæ aures; facilis, sed non in-
clinata Personæ Majestas, & immutabilis
vestiendi modus, qui nunquam deflecte-
ret in inventa Gallorum. Infidebat ani-
mo immota tranquillitas, quæ inter Hi-
spanos prima laus est: non illum pro-
spera, non illum adversa movebant:
nunquam pavidus, & exultans nunquam:
vix non oppressus stetit, & sæpissimè
Victor non insurrexit. Illum nos sapien-
tem vidimus, quem Philosophus noster
Cordubensis optabat: *Virum, qui Deum
deceat, cujus animus talis, qualis Mundi sta-
tus, ubi semper serenum est: nunquam sine
gaudio, quod nascitur ex conscientia virtu-
tum: cui imperturbata publicis occupationi-
bus quies; qui obviam fortunæ, ire non dubi-
tat,*

tat, rectus sub quolibet pondere: qui plenus gaudio, hilaris, & placidus, inconcussus, cum Diis ex pari vivit. Senec. Epist. 59. 13. 92.

de tranq. An. cap. 11. Si mihi cum Exteris sermo esset, parcius loquerer, ne ultra veritatem me fidem exposcere quis fortassis ambigeret; sed vos alloquor, Auditores, qui LEOPOLDUM novistis, quorum oculi testes eorum sunt, quæ memoro, & simul eorum, quæ digna scitu prætereo. Inter Supremas hujus Aulæ, & hujus Patriæ calamitates, inter cædes, direptiones, incendia, vidimus LEOPOLDUM, nobis quidem condolentem, sed imperterritum sibi, ac si præsciis Ille futurorum, femina fælicitatis in desolatione prospiceret: deinde vidimus Debellorem Hostium, Regnorumque Victorem, lætum quidem nostræ quietis, sed non suæ, quam non amiserat. Hoc, Auditores, habuit universus Terrarum Orbis nostro in LEOPOLDO Hispanæ Indolis, & Hispanæ Magnanimitatis Germanum Exemplar.

Nec sibi tantum proficuum Hispanam Virtutem LEOPOLDUS exercuit:

D

cuit:

cuit: pronus in res vestras, vobis sæpissimè, suis virtutibus, suis viribus, suisque sumptibus profuit. Ut primùm in Augustissimi Parentis sedem Regnator ascenderat, in auxilium laborantis Infubriæ Copias emisit, quibus prævalidi, Mediolanenses propulère in Galliam Hostes, qui Hispani juris Provinciam opulentissimam, infestis armis invaserant. In inferioris Germaniæ Regionibus, ubi sub Hollandico bello, Hispanum Belgium abripere Galli machinabantur; quis hostiles impetus compressit? Quis Prædatoribus frænum imposuit? Quis regredi, & jam adepta relinquere, tot Provinciarum, Urbiumque Victores adegit? Certè unus LEOPOLDUS, qui admotis ad Rhenum Austriacis, fæderatisque Militibus, repentinum bellum in pristinam Pacem induxit. Ad comprimendos in Sicilia Regno Messanenses, quamvis contra Tekelium in Hungarica defectione LEOPOLDUS involutus, Copias tamen Hispanis suppeditare non defuit: idem ratus officium, si pro Ipso, ac pro Hispaniarum Rege pugnâssent. Dum Catalauniæ

Re-

Regnum Borbonicis Exercitibus premere-
tur, LEOPOLDUS per tantam Terra-
rum, Mariumque distantiam, Germanicas
Legiones Barcinonem vehi concessit, non
ut sibi, sed ut Hispanis, Regni confinia
prospiceret. Tandem in hanc lapsi æta-
tem, qua in obitu Caroli Regis periturum
erat, vestræ nationis imperium: sui,
pænè dixerim, oblitus LEOPOLDUS,
quidquid laboris, quidquid virium, quid-
quid divitiarum adfuit, in opem vestram,
in vestræ reparationem libertatis, in ve-
stri dignitatem nominis, omnia penitus
eduxit in Aream: conscripsit Exercitus,
Provincias expressit, sibi Ipse cariora de-
traxit; ne Gens regno nata, ad jugum
Gallorum stolidè raperetur. Totus in
rem vestram LEOPOLDUS, deficere vi-
dit Hungariam, vastari Moraviam, diri-
pi Styriam, Tyrolim invadi, Bavariam
insurgere, Gallos accedere, hisce non
procul mænibus comburi Austriam;
non tamen revocavit Militem, non
avertit Mentem, non animum ad sibi
propiora consilia deflexit: ac si sapienter
omnia pereant, dummodo Hispania non

pereat : & quod vix credibile est (quod tamen effectum est) ut legitimum Regem habeatis , Filium Carolum Hollandis , Britannis , Lusitanis (Amicis quidem , ac Fidelibus) exteris tamen Nationibus credidit ; & quod adhuc mirabilius , reluctantante Oceano , repetitis tempestatibus , ipsi Oceano credidit. Oro vos , Auditores , dicámne Principem hunc vestrum , an Parentem ? Quemcunque dixero , vel si utrumque dixero , sive Princeps , sive Parens , Hæros certè est , cui similem Annales vestri , quamvis Hæroum fæcundi , non memorant. Inter Deos Patriæ hunc LEOPOLDUM Antiquitas coleret ; Illi statuas , Illi Aras , illi delubra dicaret ; sed nobis , qui altiora credimus , non scilicet ab Hominibus , sed ab ipso Deo optimos Mortalium , bonis immortalibus affici , unus nobis relinquitur cultus lacrymarum , quo non id , quod Ille acquisiverit , sed illud , quod ipsi perdidimus , contestamur. Non est , Auditores , Hispanus Ille non est , qui super hos cineres lacrymis parcit : Ego interim dum vos in dilectionem , & obsequium propè Urnam
fe-

sepulchralem LEOPOLDI, fletum effunditis, imaginem Ego, non LEOPOLDI, sed LEOPOLDI IMPERATORIS cæteris Nationibus ostendam, ut qui illum non habuere Principem, Illi similem optent: & ii, quos flere non spectat, admirari non desinant.

Eas primùm vocabo ad spectaculum Gentes, quæ nomine Regum Tyrannidem sustinent, Africos, Asiaticos, Americos, gavisos nondum Europæ Principibus. Indolem his Regnatoris LEOPOLDI CÆSARIS non fucosis coloribus sub oculos ponam, videbuntque non fieri Principes, sed nasci, non astu, & cædibus, sed studio, & arte naturæ; non enim tantæ Mentis humana consilia sunt, ut Deos gignere possint; & species Deorum est genus Principum, qui Dei vices super Homines gerunt. Tyrannorum vitium est, non sublimitas, timeri: nam timeri volunt qui timent, & ideò timent, quia alienis sceleribus ipsi subduntur, nec ideò Principes: vera Principum Indoles petit amari, quia cùm ut cæteris profint, Principes instituantur, prodesse posse ejus est, qui præ cæteris eminet, & ejus est amari,

E

qui

qui cæteris prodest. Hac adeò præstabat Indole noster Imperator, ut nihil cupidius appeteret, quàm præesse, & amari, & ut amaretur, amabat. Tunc maximè sentiebat se Principem, cùm in subditorum benevolentiam, Eum illi descendisse sentiebant; dum enim sub Domino Amatore diligebant subjici, subjiciebantur magis. Proximus sibi rei publicæ Administratores, tantæ ferebat potestatis participes, ut socios potiùs imperii dixisses, quàm subsidia curarum; indemni tamen, immò sublimiori majestate imperantis; nam quibus amplior concessa potestas, grandior in concedentem servitus erat. Eò dilectionis in Proceres Aulæ devênit, ut sæpissimè Reos, in sublimiores gradus attolleret, hoc ductus consilio, ut devincti beneficiis, loco pœnarum, peccâsse erubescerent, ac severiùs, quamvis nobiliùs, seipfos ipsi punirent. Supremum semel Præfectum Aulæ quem emoveri decrevit, diù hæsit, an Pœnitentem absolvi præstaret, quàm nocentem puniri; curavitque clam suaderi, ut Cæsarem accederet suppliciter, ne damnatus discederet, cupidus Ille, magis diligi Princeps, quàm Judex laudari: & ubi veniæ locus de-

deerat, nunquam defuit Clementiæ locus in moderatione supplicii, quod in puniendis Nobilibus, nec in foro, nec in propatulo, sed in Ædium secessibus, infligebatur; factius enim placebat, parcere, & mitescere, quàm displicuisset offendi: nec Illi ignotum documentum: *non esse quenquam, cui tam valdè innocentia sua placeat, ut non stare in conspectu Clementiam, paratam humanis erroribus gaudeat.* Senec. de Clemen. cap. primo. Clementia, Magnates, Clementia simul & piis moribus Populos sibi devinxit. Apud Barbaros regium habetur, humana divina-que jura contemnere, ne Legibus videatur subdi, qui nemini subditur: verùm hodiè, qui vivam Legem Principes esse cognoscimus, Legem sine Lege non patimur: eosque diligimus Principes, qui seipso nobiscum diligunt; quia nobis pares videntur, dum & sibi imperare suescunt, eos præcipuè, qui suoptè ingenio, morum probitatem ex Indole seligunt: hos inter LEOPOLDUS CÆSAR emicuit, tantâ inter Romanos Imperatores claritate, ut sicut Exemplar est Posteris, ita & Prædecessoribus velamentum: nulla LEOPOLDO Adolescenti Luxuria, nulla Viro fero-

citas, nullum Seni fastidium: sine elatione supremus, sine aliorum contemptu maximus, sine jactantia optimus: Bellator sine odio, Pacificus sine metu, sine gravitate Regnator. Quondam utilia sibi vitia, Populus optabat in Principe, cariorque Romanis Nero, quam Galba; sed tandem didicere miseram esse Divitiarum affluentiam, ubi cum formidine affluunt, & securiorem appetendam felicitatem, sub integro magis, quam sub prodigo Principe: sub hoc ditescimus, sub illo quiescimus; & libentius Quies, quam Aurum diligitur: quiescentes enim suaviter vivimus, divites verò, hoc ipso quòd divites, per sæpè perimus. Nec obstat, Auditores, quòd scelestos quandoque Homines LEOPOLDUS juvaret: improbum non est ab improbis diligi: Respublica Asylum petit, nec regnatur sine Republica. Divinum Regnum est, ubi pluit super Bonos, & Malos. Bonis prodesse, Judicis est, prodesse Malis est Principis: est Dei, & quod Dei est, LEOPOLDI fuit. Vidistis remotæ Gentes, quantum intersit, inter Principatum, & Tyrannidem, inter calamitates vestras, & felicitatem nostram, quam licet amiserimus,

similem tamen reliquit , cùm suam Regnantis Indolem , Principum optimus, sua nobis in Prole reliquerit.

Vos Senatus, Populusque Romanus, qui super cæteros Mortalium, civiles regnandi artes calluisse gloriamini, & primorum imagines Cæsarum in Posteritatis venerationem attollitis ; in Austriaci hujus effigiem Cæsaris erigite oculos : nemini illum ex clarioribus imparem, neminem illi ex melioribus parem, ipse vobis ostendam ; si unam militiæ professionem excipitis, quæ famulantis, non regnantis virtus habenda est : instrumenta Principum Milites, & quotquot Exercituum Ductores Principatum adepti sunt, ideò sunt adepti, quia defuere Principes, qui Exercituum Ductoribus imperarent. Julius Cæsar, Nepos Augustus, quamdiù fulsere armis, Respublica Princeps erat ; tunc illi Principes, dum bella primò cesserunt. Dominus Principum Deus, bella non habet, præest semper Exercitibus nunquam Bellator ; & si Bellatorem agere aliquando indigeret, Deus non esset : hinc maximus Principum inter Cæsares Tiberius censetur, quia potitus rerum

Militiam exuerat, & Imperatoris nomen, in jus Regum erexit : inter præcipuas ergò Imperatorum Imagines effigiem LEOPOLDI locabitur, si Ipsum ego alterum fuisse Tiberium probavero : immò & Illo digniorem ostendam ; quia vobis Tiberium dabo sine Tiberii flagitiis. Primus Tiberio ad Principatum ingressus, nolle nisi à conscriptis Patribus eligi ; nullis Vitrici, vel Matris officiis, ut in libertate Reipublicæ dignus ipse liqueret Imperio, nec gravis unquam haberetur Princeps, quem elegissent : quod Tiberio astu LEOPOLDO Hungariæ Regi fortuitò contigit, præproperâ Parentis Morte in Regem Romanorum nondum assumptus, nulloque vel occulto crimine Cæsar salutaretur, Divino prorsus consilio, ne Princeps Regnorum confinia latissimè producturus, ab alienis virtutibus imperium acciperet. Alter Tiberio ad Majestatem gradus, Consanguineum in Exercitu imperantem non pati, atque indè amotum ex Cheruscis, Cattisque Germanicum, in Orientem transtulit, ubi Gn. Pisonis non injusso scelere periit. LEOPOLDUS finè ullo scelere, sed bene-

volentiaë, & benignitatis officii eandem regnandi sapientiam imitatus est: Patrum Archiducem Wilhelmum (qui in Belgio, Armorum, ac Provinciarum Moderator, maximè claruit, nec sine Procerum suffragiis Imperator Romanorum Francofurti indicatus) procul à curis, causa dilectionis, in Aula detinuit. Tiberius falsâ specie Pietatis in Deos, impiam perpetuò mentem tegebat, ut Populos Religione deceptos, in Principis odium nemo seduceret; LEOPOLDUS ut animos Populorum in Fidei constantiam, non fucatis, sed veris virtutibus, non simulatâ, sed verâ Religione fulgebat, nec quamvis Austria, modò Rebellium, modò Turcarum formidine afflicta perturbaretur, nunquam tamen in tumultum colligi meditabatur; Divinam singuli censentes ultionem in communem pœnam, se ipsos semper, Principem nunquam culpantes in causam malorum. Tiberius Privatorum Diffidia, Commercia Urbis, Reddituum usus, cæteraque ad Arcanam rem Principis non spectantia, Senatui, ac reliquis Magistratibus perpetuò deferebat, ut Vulgus Nobilium, assiduis occupationibus invo-

lutum, altiora scrutari negligeret: LEO-
POLDUS hujusmodi Classis Hominibus
Magistratum sedes implebat, quæ licet
Assessoribus magis, quàm negotiis gra-
varentur; perniciosam tamen Urbibus
Gentem, semper ac laboribus vacat,
vacuis honoribus occupabat; ut qui per-
ditis moribus erravissent, devincti Sacra-
mento Principis, seipfos inani opinione
venerantes, prudentiùs vagarentur. Ti-
berius, ut Neronem suos in Cæsarum sti-
pente figeret, Optimates Romanæ Reipub-
licæ acerrimus insequeretur, in quibus
Libertatem deleret; Hostisq̃ue erat qui-
cunque vel Divitiis, vel Familiâ, vel
Clientibus potens: LEOPOLDUS, ut
Austriacos suos eodem in fastigio firmaret,
rem tantam nobiliori consilio promovit:
Clariores, Potentioresq̃ue in Senatu Ro-
mano-Germanico Sibi, vel Clientes, vel
Domesticos, vel Amicos, beneficiis, sti-
pendiis, & sublimiori dignitate devinxit:
præcipuos Teutonum Comites, Ost-
frifios, Swartzenbergicos, Oettinghios,
Firstenbergios, Nassavios, Swartzenbur-
gicos, Tasseos, &c. in S.R.I. Principes ele-
vavit: in educationem JOSEPHI CÆSA-
RIS

RIS Principem S. R. I. vocavit Salmensem: vices suas in Exercitibus, Ludovico Badenſi ex Supremis Germaniæ Marchionibus credidit: Duci Hannoverano, inter Octoviros nonum ſuffragium in Collegio Electorali conceſſit; atque Hujus Patruelem Regi Romanorum nuptam voluit; Duci Neoburgenſi, Sororem dedit in Nurrum, & in propriam Uxorem ſibi Filiam elegit: Electorem Bavariæ ſuſcepit in Generum, Fratremque Episcopum in Coloniensem Electorem produxit: pro Saxoniae Octoviro, Poloniae Coronam non fruſtra quaesivit: Electorem Brandeburgicum, Borussiae Regem creavit. Quis nunc Tiberio LEOPOLDUM, ſapientiam regnandi majorem negabit? Principum ergo Maximus Tiberius, LEOPOLDO minor: noſtri itaque erigenda eſt LEOPOLDI IMPERATORIS Effigies inter primos Caesares altior; quam Antiquitas, quam praesens saeculum, quam futura Poſteritas, & laudet, & miretur, & colat.

Reliquum eſt, Auditores, ut, etiam Hoſtes, qui Perſonam oderunt, Effigiem diligant; in Effigie enim, quam dabo, LEOPOLDUM non cognoviſſe videbunt:

extinctum laudabunt, cùm nihil ampliùs timendum superfit. Virtutes, quæ corpus non habent, pulchræ, nitidæque videntur, quia non ampliùs Humanitatis infirmitatibus vitiari possunt. Positus inter Turcas, & Gallos Austriacus Regnator, ab utrisque diù ignotus, dum ausi sunt aggredi, quem tentâsse nunc pœnitet: nunc videnda mens est, nunc scrutandum pectus; ibi Principis sapientiam, hic Principis Magnanimitatem aperiam. Ante Annum octogesium tertium, delapsi primùm sæculi, intestino Bello æstuabat Hungaria, secundis in Rebelles eventibus, qui Casloviæ potiti, ingentem superioris Hungariæ partem occupabant, manabatque in universam Europam opinio LEOPOLDUM IMPERATOREM infirmæ Mentis, infirmique Animi Principem, nullis regnandi artibus præditum, fortuito Fratris obitu imperâsse. Oh cæcam Hominibus Aciem! Oh ignarum vulgus! Oh lapsum in stultitiam rumorem! Aliam Ego sapientissimi Principis speciem dabo: Hujus Ego non ignarus consilii, veriore LEOPOLDI Imaginem, ad clariorem lucem exponam: adeste, Auditores, adeste, men-

mentisq̄ue oculos in LEOPOLDUM
meum erigite: didicit Ille jam diù intestina
bella, non perpetuis curanda cladibus,
quibus Princeps perit qui vincit; dum
enim suos delere Populos nititur, quod
suum est delet; sibi Hostis magis, dum
magis est Victor: incruentis ergò viribus
agenda res, semper ac domi bellatur; non
secus ac in Paternis ædibus, in Prolem
petulcam irascitur Genitor, qui furit non
ad Necem, sed ad obsequium: juxta
Anchisis Oraculum ad regnatos toti
Terrarum Orbi Nepotes:

*Tu regere imperio Populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) paci que imponere mores
Parcere subjectis, & debellare superbos.*

Æn. lib. 6.

Delere ergò Rebelles, non erat Regis,
qui Pater cognosci decreverat; parcere
Insolescentibus, non erat Patris, qui Rex
cognosci debuerat, ac in dies serpebat al-
tius incendium in exitium Hungariæ, præ-
cipuè accedentibus Turcis, qui specie
libertatis jam deceptos, ulterius deciperent:
mens quærebatur humanâ mente subli-
mior; neque hæc LEOPOLDO defuit.
Protrahendum erat malum, adinstar fa-

pietissimi medentis , qui eos negligit
morbos , qui nonnisi neglectu sanantur.
Proderat Turcicum Bellum in terrorem
totius Christiani Orbis, ut commune pe-
riculum , communem opem colligeret :
Rebelleſque ipſi , pejori auxilio perditī,
priſtinam Fidem, ſuâ ſponte reſumerent :
hoc uno poſſe conſilio

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Patuitque conſilii vis ſæliciffimo eventu.
Vix Barbarorum ingens colluvies, ſeſe ex
Hungariæ limitibus effudit in Auſtriam,
proximo ſtatim discrimine territi, Poloni,
Germani, Itali, in tantum Hoſtem, non
impares ornavère ſuppētiās , fulſitque
Armis Præpotens Acies , quæ Turcas pri-
mò fugavit, deinde terrâ , marique com-
preſſit : Moreæ Regnum adepti ſunt Ve-
neti, ſuperiorem Podoliam Poloni : LEO-
POLDUS univerſam Hungariam ; & qui
Bellum intulerat, Pacem, & veniam ſup-
plices deprecabantur.

Aliud conſigendi genus cum Gallis
Hoſtibus fuit. Plurimùm Exercitibus pu-
gnatum eſt , ſæviùs tamen finè armis ;
auro, ingenio, & juribus : nuſquam tamen,
& nunquam ſine LEOPOLDI Victoria.

Hoc

Hoc Belli genus tandem peractum est. Primus inter LEOPOLDUM Regem Hungariæ, & Ludovicum Regem Galliarum conflictus, Francofurti ad Mænum in Germaniæ Comitibus incaluit. Oratores Ludovici Regis, componendam clamabant Italiæ Pacem, antequam novus Imperator, novam protrahendi Belli causam perquireret: Austriacos Cæsares tanquam hæreditario jure imperantes, Leges Patriæ perpetuo contemptu pervertere; caverent itaque Germani Principes, ne dum Imperatorem assumerent, libertatem prosternerent: Bavariæ Octovirum supremi Regnatoris ornatum virtutibus, non finè injuria omittendum, nec deerat tantis clamoribus occultus vigor, qui Proceres in Hungariæ Regem infensos redderet: tamen LEOPOLDUS VICIT, & qui Rex discessit, Viennam Romanorum Imperator rediit. Dum contra Batavos arma sumpserat Rex Galliarum, apud singulos ad Rhenum Principes, per suos Ablegatos, clandestina in Imperatorem dissidia excitabat, nonnullisque corruptis contra Fidem Patriæ,

ſufdeque Germaniam vertebat, ne Cæſareus Miles accederet: tamen LEOPOLDUS VICIT, carcere, & relegatione Machinatores punivit, ac in Neoma- genſi congreſſu, fæliciter res Germaniæ ad communem tranquillitatem compoſuit. Tekelio Rebellium Duci, ac Turcarum Archiſtratego, ingentem vim pecuniarum Gallus emiſit, ut ab Imperatoris capite Coronam Hungariæ divelleret, immò & à paternis Sedibus deturbaret: tamen LEOPOLDUS VICIT, & confinia Hun- gariæ, uſque ad Moldaviam produxit. Ut in Colonienſem Octovirum Clientem ſuum promoveret, Ludovicus XIV. Cu- riam Ratiſponenſem, ac Pontificis Au- lam diù vexavit, ne Imperator ſibi ad- dictum Principem illuc inferret: tamen LEOPOLDUS VICIT, & Episcopum Friſingenſem in Electorali Sede locavit. Auguſtæ Vindellicorum, movit iterum Gallus machinationes, & ſuaſiones, & minas, ne ulterius in Cæſares Au- ſtriaci Archiduces admoverentur: tamen LEOPOLDUS VICIT, & Hungariæ Regem, in Regem Romanorum eligi, ſuoſ-

fuosque ante oculos coronari perspexit. Vivente adhuc Carolo II. Hispaniarum Rege, ut reliquis Austriacis aditus ad Hæreditatem recluderetur, in divisionem Regnorum, Imperatorem consentientem subdolè rapti Gallia machinabatur, ne Anglos, Batavosque Amicos haberet, si abnueret; & Hispanos Magnates haberet Hostes, si discindi Regnum pacisceretur; sed frustra paravit decipulam: LEOPOLDUS VICIT: nec abnuit, nec annuit: Hispaniarum integritatem non læsit: & Britannos, Hollandosque in res suas fæderatos devinxit. Extincto Rege Carolo, Coloniensem, Bavarumque Octoviros, in odium suscitavit Gallus contra Hæredes Austriacos, perfractis Naturæ, & Hominum juribus: tamen LEOPOLDUS VICIT: pulso suis è Sedibus Coloniensi, ac universam Bavariam adeptus; nec dum vixit, LEOPOLDUS vincere destitit: nunc vincendum quidquam superfuisset, nisi jam fatis vicisset, relictis Principibus, qui Parentis virtutes imitarentur, seque ad Ipsius Imaginem Filius uterque componeret.

Hujus tanti Victoris Cineres, hujus
tanti Victoris Imaginem, Hispani Soda-
les, habetis: æternis obsequiis hos vene-
rabitur Cineres Orbis Austriacus: hanc
inter Superos, ornandam syderibus Imagi-
nem, fælix fervabit æternitas.

D I X I.

INSCRIPTIO PRIMA.

D.
LEOPOLDI

Romanorum Imperatoris

Sacros Cineres,

SODALITIUM HISPANICUM

Hac in Urna

Veneratur;

Ut suum ibi

Constans, & jure obsequium,

Etiam inter Mortales,

Æternùm

Servari, ac ardere

Testetur.

INSCRIPTIO SECUNDA.

LEOPOLDUS

Hispanâ genitus Matre,

Ex utroque latere

(In hodiernum diem)

Austriacus Princeps ultimus.

Hanc Patriæ moerentis Calamitatem

Hispani Sodales

Hos super Cineres

Flebant.

INSCRIPTIO TERTIA.

Hispanis,
In Belgio, & Insubria,
Bello sæpè laborantibus,
Vindex nunquam non adfuit
LEOPOLDUS,
Et ne tanti gratia Beneficij
In Cinere scripta credatur;
Has
Cinerales Exequias
Solemni ritu
Hispani
Concelebrant.

INSCRIPTIO QUARTA.

Vobis Hispani,
LEOPOLDUS
Legitimum Regem daturus,
Sibi Filium eripuit;
Timendisq̃ Belli, & Oceani casibus
Strenuè credidit:
Tantæ Molis erat
Gentem Regnatricem
Suo in Jure tueri.
Quis Vestrum
Ad hujus Urnam,
Soluti in Cineres Principis,
Se non solvet in Lachrymas?